



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 72. Sessio XXXI. Basileensis Synodi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

tam Imperatoris, quam Regum, aliorum-  
 que Principum Oratores olim Basileæ  
 morantes, insuperhabita translatione ab  
 Eugenio promulgata, ibidem perstiterunt.  
 Imo quod plus est, Rex Galliæ subditis  
 suis sub severis pœnis prohibuit, ne se  
 sub obtentu assistendi Synodo ab Eugenio  
 celebrandæ Ferrariam conferrent. Un-  
 de liquet, Regem continuato studio Ba-  
 sileensis Synodi auctoritatem propugnasse,  
 quemadmodum id alio loco retulimus.  
 Hæc tamen consona haud videntur  
 longe plurium Scriptorum testimonio,  
 qui Præsulum Ferrariam confluentium  
 numerum immodice augent. Justinianus  
 testatur, dato solemnii Concilii initio  
 interfuisse Archiepiscopos quinque, Abbates  
 decem, cum quibusdam Ordinum  
 Generalibus, atque Provincialibus.

Sæcul. XV.  
 A.C. 1438.

*Panorm. ut  
 supra.*

*Vid. §. LV.*

*Acta Conc.  
 Ferrar.  
 Justiniani.*

§. LXXII.

*Sessio XXXI. Basileensis Synodi.*

Nihilominus Basileensis Concilii Patres  
 Sessiones suas prosequabantur, & vigesima  
 quarta Januarii die trigessimam  
 primam celebrabant, in qua duo notatu  
 digna condidere decreta.

*Labbe Conc.  
 to. 12. p. 601.*

In horum primo statuunt, quod in partibus  
 ultra quatuor dicetas a Romana Curia  
 distantibus, omnes quæcunque causæ ex-

X 2

ceptis

Sæcul. XV. *ceptis majoribus, & electionum Ecclesiarum*  
 A. C. 1438. *Cathedralium & monasteriorum, quas im-*  
 mediata subjectio ad Sedem Apostolicam de-  
 volvit, apud iudices, quibus de jure vel con-  
 suetudine cognitio competit, terminentur, at-  
 que finiantur, ac prohibet, ne ad Papam,  
 omisso Ordinario loci, nec a gravamine in  
 quacunque instantia ante definitivam senten-  
 tiam quomodolibet appelletur. Si vero  
 quispiam ad Sedem Apostolicam duxerit ap-  
 pellandum, causa per rescriptum usque ad  
 finem litis in partibus committatur. Et de-  
 nique decernit, causas huic Synodo in-  
 corporatorum, quæ alias ad Pontificem  
 devolverentur, apud eandem sacram Syno-  
 dum ipsa durante tractari debere.

## §. LXXIII.

*Decretum Basileensis Synodi pro  
graduatis.*

*Ibid. p. 602.* Secundo Decreto Patres cunctas gratias  
 expectativas revocant, tam hucusque  
 concessas, quam imposterum conceden-  
 das, relicta tamen Pontifici libertate dis-  
 ponendi de uno beneficio ad collationem, in  
 qua fuerint decem beneficia, & de duobus,  
 ubi fuerint quinquaginta: ut vero ad bene-  
 ficia idonei instituantur viri, decernunt,  
 quod quælibet Ecclesia Cathedralis tenen-  
 tur & debeat habere unum Theologum, &  
 quilibet Collator, quamprimum facul-  
 tas